

**Mertrud, Antoine-Louis-François -
candidat / Louis, Antoine - président. -
De ecchymosi et suggillatione
accuratius distinguendis**

1786.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,
Cote : ms 2346, n°2***

2

DE ECCHYMOSI

ET

SUGGILLATIONE
ACCURATIUS DISTINGUENDIS.

THESES

EX

ANATOMIA ET CHIRURGIA

TUM PRACTICA TUM FORENSI,

*Die Sabbati octavâ mensis Aprilis, anno 1786, à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam,*

PROPUGNANDÆ.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS
PRO ACTU PUBLICO,


ET

MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cytharæâ.

M. DCC. LXXXVI.



DE ECCHYMOSE

ET

SUGGILLATIONE

ACCURATIUS DISTINGUENDIS.

THESES

EX

ANATOMIA ET CHIRURGIA

TUM PRACTICA TUM THEORETICA

Disputatio habita in aula publica, anno 1786, die 14. Septembris, a
Johanne Baptista, Medico, et Chirurgico, et
Magistro in Medicina et Chirurgia.

PROFUGANDUS.


PARISIIS,

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLA

PRO ACTU PUBLICO,


ET

MAGISTERII LAUREA



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgici
Coll. pro novorum Academicis Typographi, vis. Ordinis.

M. DCC. LXXXV.



SUMMO PHILOSOPHO

VIRO IMMORTALI


D. D. COMITI DE BUFFON,

IN VENERATIONIS ET GRATI ANIMI

MEMORIAM

DICAT, VOVET, CONSECRAT

ANT. LUD. FRANCISC. MERTRUD.



SUMMO PHILOSOPHO

VIRI IMMORTALI

D. D. COMITI DE BUTON

IN VENERATIONIS ET GRATI ANIMI

MEMORIAM

DICAT VOYET, CHIRURGUS

ANT. LUD. FRANCIS. MERTENS.

7

T H E S E S

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

VITÆ summam brevem nemo non novit : indubitatæ huic sententiæ Hippocrates comparatè adstruxit Artem esse longam ; quæ quidem à Divi senis temporibus in dies longior, per ingeniosas periclitationes & experimenta, novis lucubrationibus perpetuò perficienda est. Quàm ampla cognitionum seges sese offert, si ad rerum quas Ars continet multitudinem animo attendatur ! Earum unaquæque ars magna nuncuparetur.

Corporis humani notitiâ, firmitus Artis salutaris fundamentum, non nisi profectionibus anatomicis acquirenda, res est operosi ac molesti laboris : at Physices luminibus orba, arida prorsus & inanis videbitur, cum tota versetur Ars in contemplatione Naturæ, mechanismo occultissimo indefinenter agentis, tum in variis functionibus obeundis, tum in diversimodâ, vixque numerabili earumdem functionum læsione, statum morbosum constituyente. Quanta in comparandis observationibus desideratur sagacitas, ut falsa pro veris, aut vera pro falsis non habeantur ! Qui cupidâ mente, rerum ægris opitulantium, cognitionem assequi voluerit, is non solum doctrinæ studio vacabit, sed praxi assiduâ, sub Artis Proceribus sedulò incumber : rectior hæc & tutior querendæ scientiæ via est ; nec enim satis est Artem ratione tantum nosse ; sed, ex ipsius Hippocratis effato, hæc in usum exercitatione traducenda. Undè optimè dictum à doctiss. viro quæ

Scholiis Commentarios Hollerii, Med. Par. jure ac meritò celeberrimi, in Hippocratis Aphorismos illustravit : *Ut si vita nobis quadruplo longior concederetur, ne ipsa quidem sufficeret ad eas artes perdiscendas* (a).

Si in aliis disciplinis confessa res sit & publici faporis, de minimis Viros egregios non curare, discant nihil in Chirurgicis esse nisi maximi momenti : Exemplum præbeat, quod proponimus hujus concertationis argumentum, primo intuitu tenue, sed ignota cujus copia errorum & reprehensionis ansam dedit. De Ecchymosi & suggillationibus disceptaturi, integumentorum structuram & usus, utpotè injuriis externis maximè obnoxiorum, prius anatomicè consideranda censemus.

Vulgaris est apud Anatomicos tegumentorum divisio in cuticulam, rete Malpighianum, cutem & membranam adiposam, seu textum cellulosum; &, quod sint totius corporis involuorum, communia vocarunt; quæ denominatio minimè textui celluloso competit. Hic enim non solum, ut veteres agnovère, undique sub corporis superficie extenditur musculos inter & cutem, innumeras cellulas inter se communicantes habens, plus minusve materiâ pingui, oleosâ, turgentes; sed Neotericis apprimè notum telam cellulosam omnium partium interstitia replere, ita ut ex eâ & ipsarum continuïtas pendeat, & flexibilitas conservetur. Hujus cellulosæ telæ summam & serè huc usque ignotam dignitatem Cl. Hallerus statuit, eam agnoscendo ut corporis animalis partem elementarem, cum sit membrana princeps, aliarum omninò formatrix, ex quibus vasa, viscera, glandulæ, ligamenta, capsulæ, &c., constantur. Omnes partes, ad minima usque fila, vaginâ cellulosâ ambiuntur; per ipsam partes connexæ cum libertate uniuntur. Hinc muscoli, deletâ subcutaneâ telâ, cum cute coalescunt, magnam sui motus & partem tantam amittunt, ut par Ankylosi hoc malum judicatum fuerit.

(a) Liebaut, Med. Paris. 1596,

Indè in fervandis cute & textu cellulari, in quantum possunt, apostemata aperiendo, & in tumoribus extirpandis, attentius invigilant Chirurghi, ut curationes citius, non amissâ substantiâ, perficiantur, & partium mobilitas non pereat.

Laminarum tunicæ cellulosæ spatia undique aperta, per totum corpus in unam tanquam continuam cavitatem consentiunt, ut videre est experimento *Ruischii*, qui flatu impulso areolas hujus membranæ replevit, quodque quotidie demonstrat flatus lanionum per exiguum vulnus intrusus, cutem omnesque partes per totum corpus elevans; idemque constat ex Pathologicis Observationibus in emphysemate, anasarca, suggillatione, &c.

Vasa sanguifera, arteriæ & venæ, à partibus vicinis mutuatur, cellulas membranaceas cingunt. Falsò ad secretionem materiæ adiposæ supponerentur glandulæ vel ductus peculiare: per totam arteriæ longitudinem exsodat; quod experimentis comprobatur: arteriâ enim per injectionem aquæ repletâ, nulla pars cellulosæ telæ circumposita absque madore cernitur; ejusdemque cavernulæ in se patent invicem. Pinguedinis secretio celeris probatur ex citò renascente post acutos morbos obesitate: celeriore forsan ejus regressum per venas resorbentes probant motus fortiores animalium, febres adipem citius absumentes, animi pathemata, hydragogorum subita quandoque efficacia, quorum ope aqua inter cutem effusa & resorbta, per alvum ductam educitur.

Telam cellulosam, experimentis in vivis animalibus factis, insensilem dixit Cl. *Hallerus*: sed quis inficias irret, in ulceribus humidâ carne præditis, dum lapide infernali protruberantia uritur, agros sæpè dolore acutissimo affici? Tela cellulosa sedes est luxuriantis & reprimendæ carnis: ergò sensu non esse privatum textum cellulosum, contra experimenta Halleriana, sed in statu morbo sensibilem rectè adstruxit Clarissimus in Scholis Chirurgiæ Regius Pathologiæ Professor M. *Fabre*.

Seriùs præcipuæ hujus & elementaris corporis partis natura innoruit.

Cutis, membrana densa, crassa, ex telâ cellulosâ stipatissimâ componitur, totumque corpus, vestis instar, involvit. Cutis substantiam cur tendinosam in homine dixerit egregius Winslowius, sagacissimus in cæteris corporis fabricæ perscrutator, partiumque minutissimus quandoque delineator; & fibris tendineis mirè implexis compositam cur asseruerit *Heisterus*, haud liquet. Hanc structuram in brutis admittendam non recusamus, cum inter cutem & pinguedinem in eis adsit tunica carnea cujus beneficio cutem movere & muscas abigere possunt. Riolo filio sit laudi quòd adnotaverit *substantiam cutis esse ab aliis membranis diversam, qualem in toto corpore non reperiatur, fibrosamque, innumeris filamentis intertextam*.

Structuræ cutis membranosæ accedunt vasa sanguifera copiosissima, quæ si diligenter & feliciter sebaceâ materiâ coloratâ repleantur, tota rubescere videtur, quamque quasi colore extrinsecus adposito pictam diceret: sed tanquam accessiones tantum, licet innumera, hæc vasa habeantur; nam opposito lumine inspecta, sic anatomicè præparata cutis, ex sanguinem membranam refert; maximamque partem superficiem inter retia vasculosa albam cernere est.

Per nervos in papillas pyramidales desinentes, cutis, tactus organum, sensibilitate exquisitâ gaudet. Hujus vis elastica manifestatur præcipuè in puerperiis, cum extensa ultrâ modum ad pristinum ferè statum restituatur. Indè consideratio chirurgica cautiùs prospiciendi conservationi cutis, in operationibus, si per solam extensionem à statu naturali recesserit. Contractilis est ab elaterio, quod à structurâ propriâ accipit.

Irritabilitas cuti denegatur secundum Halleriana experimenta, siquidem puncta, læsa & quocumque modo irritata seu stimolata, non fit brevior. Ast non potest negari vel minimam corporis

9
corporis viventis fibræ ab ipso vitæ principio suum habere
tonum, quo contrà Naturæ leges aucto, fiunt spasmi absque
fibrarum affectarum visibili recessu. Quot verò, quanta enas-
cantur è statu spasmodico phænomena, præcipuè in passione hy-
stERICÀ, celeb. Sydenham testatur, & quotidiana satis superque
comprobat experientia.

Etiamsi breviores oculis intuentibus fibræ non fiant, num
minùs rigent? Quid generalis contractio à metu subeundæ ope-
rationis chirurgicæ? Quid erethismus, in morbis nervosis tam
decantatus, calorem vitalem labefactans, à quo externus algor,
incipientis febris horrorem mentiens, & poros cutis perspira-
tioni dicatos obturans? Ergo cutis irritabilitate donatur, licèt
structuræ sit membranaceæ, contra opinionem quâ omnes mem-
branæ dicuntur virtute irritabili privatæ; opinionem, teste visu,
Artis genio inconsulto, ab experimentis fallacibus, quanquam
accuratioribus natam, cujus commenta delet dies, Naturæ judicia
confirmans.

Non à fibrarum stimuli impatientium texturâ peculiari, re-
petenda est vis irritabilis, sed à vitæ principio; materia enim
augusto Naturæ nomine insigniri nequit, cum sit ex se iners,
passiva, & omni actione destituta. Principium vitale nemini non
fuit notum. Quid enim aliud, Hippocratis calidum innatum;
Aristotelis quinta essentia à quatuor elementis sibi cognitis toto
genere discreta; Theophrasti vitale principium; Helmontii Ar-
cheus; veterum Chymicorum balsamum Naturæ & sulfur vita-
le? Illius principii substantia elementis longe est diviniore; ca-
lorem continet, non igneum & destruentem, sed planè cœles-
tem & vivificum: verba sunt clariss. J. B. Duhamel: spiritus
dicitur, quòd sit tenuissimus ac subtilissimus; quòd enim res est
à materiæ contagio solutior, eò ad motum promptior atque ad
agendum efficacior. Corruptis ac dissolutis corporibus, is integer
servatur. Illud, exempli gratiâ, intueri datur in tritici grano quod

B

terra, gremio mollito & subacto, sparsum excipit, quodque in eâ putrescit ac dissolvitur : at balsamum radicale ab interitu vindicatur, ac novam subinde molitur generationem; cessare enim non potest. Hæc sunt Naturæ viribus; Naturam quippe morborum medicatricem dixit Hippocrates; sed quid Naturæ agentis nomine intelligi debeat, inquiritur? *Quid Natura, nisi ars Dei in materiâ (a)?*

Ex hoc sanioris doctrinæ fonte nuper emerfit Magnetismus, quem dicunt animalem; novum deliramenti genus mytagogicè in praxim medicam profiliens, ex quo rueret totius Medicinæ scientia tam firmis stabilita principiis, & turpius vilesceret curandarum morborum internorum methodicus ordo. Sed cum quemquam ledere in animo non sit, alumnis quos prurigo novitatis moveret, verba viri sapientissimi meditanda proponimus: „ Non continuò infamis ars censenda est, si nequissimi homines „ in pravos usus eam detorqueant. Pessimè actum erit cum rebus humanis, si nobilissimas quasque artes proscribi oporteat, „ quòd iis maleferiati homines abutantur (b). „

Ab iis quæ supersunt anatomicè discutienda de corporis tegumentis, longiùs duceremur : ad Chirurgica transeamus.

Quæ, rerum gravium & obtusarum impetu, extrinsecus fiunt in corpore læsiones, *contusiones* improprie, meliùs vulnera contusa nominantur, difficilioris verè sanationis, quàm quæ solâ & simplici solutione continui molesta sunt; cum iis in vulneribus de unione restituendâ non possit cogitari, quin successivè suppuratio & deterfio priùs perficiantur. Non item de solutâ continuitate subcutaneâ, tegumentis illæsis; hæc læsionis species,

(a) J. B. Duhamel, Oper. Philos. Tom. I, de Fossilibus, lib. 2, Cap. 1.

(b) Idem; ibidem.

non vulneris, sed tumoris faciem præ se fert; de quâ præcipuè hîc dicendum.

Contusionis vocabulo, non morbus, sed morbi causa designatur; nullaque est hujus nominis apud auctores latina appellatio, nisi per gallicismum, tumorem à sanguine coacervato vel suffuso significans. *Æquivoca* verborum acceptio de iis quæ naturæ species & ratio diligentius distinguenda monent, graves in theoriâ gignit errores, vitiosiores in praxim ferens, mox luctuosiores in usu forenfi daturus.

Posterâ laude in dies crescentem Magistrum audiamus *Paraum* de vulneribus capitis agentem... « Contusionis impetu sæpè fit » *Ecchymosis*, id est, sanguinis mox concrecentis effusio sub » cute, sine vulnere. Hæc contusio ingens si fuerit, sic ut à cranio » cutis discesserit, sectionem moliri oportet, quâ sanguis exire » & expurgari possit. » *Idem*, Tractatu de vulneribus sclopo illis, sic fatur: « Cùm contusæ partes sint, non multò post ab » ictu intumescunt... Propter insignem contusionem & circumf- » tantium particularum laniatum & attritionem, humorum » è toto corpore magna vis confluit, ruitque in locum affectum... » Multiplici scarificatu pars erit incidenda, quo, contuso, ut sic » loquar, & concreto sanguine, adedque in putredinem pronò, » pars deoneretur. »

Ut genuina morbi indoles clariùs innotescat, Scriptorum auctoritate gravium doctrinam exponere pretium sit. Clar. *Platnerus* in Institutionibus Chirurgiæ Rationalis, vexatorum nomine utitur: Vexata, inquit, § 706. quæ aliis contusa vel collisa nominantur, sunt corporis vivi partes, quibus telum, vel aliud durum ac retusum, ità impressum fuit, ut interiùs sub cute minores arteriæ venæque, varium humorem ferentes, laceratæ atque graviter affectæ sint: quare ex iis humor qui eas permanat vel effunditur, vel is in motu suo impeditur & sistitur. Clarif. *Ludwig*, Professor Lipsienfis, in Institutionibus Chirurgiæ, prælectionibus

academicis accommodatis, § 397. circa hanc questionem his verbis eloquitur : « Vexata vulnera dicuntur, quæ, corpore lædente applicato, non evidenti & plenariâ continui læsione in integumentis corporis constant, sed tantum partium quarundam sub his occultarum separatione inducantur, qua & humorum motus per vasa cohibetur ut propterea extra vasa sæpius rupta vel conquassata propulsi, in contextu celluloso effundantur, & ibidem stagent. In his itaque instrumentum lædens, non figurâ acutâ, sed impetu potius & mole affectum producit ». *Contusionis* nomine, non morbus, sed *contundendo facta læsio* designatur. Vocum *confusio*, rerum confusionem inducit. Mox citati Professores extranei, ut ferè omnes gallico idiomate Scriptores, *ecchymosim* vocant eam sanguinis sub cute effusionem qualis non rarò post phlebotomiam minùs solerter celebratam, apparet; nempe cum sectâ congruenter venâ & parciùs incisâ cute, subitaneus fit tumor, quem thrombum dicunt, à sanguine concreto, qui intrâ paucos dies pedetentim diffusus, in cellulas textûs adiposi longiùs extenditur, & successivè dat colorem ex nigro purpureum, ex purpureo in singulos dies minùs intenso flavescens, usquè dum per coloris quasi remissiones, naturalis in cutem redeat. Multum verò discriminis inter utriusque morbi ætiologiam esse constat; quinimò, cum nulla sit in hoc casu actionis in parte affectâ læsio, nulla unio soluta, sed ex latè diffuso sanguine simplex macula; quis non videt successivos coloris saturationis in debiliorem transitus, minùs esse morbi notam quàm signum naturæ resolutionem sanguinis extravasati, lento gradu, ut ipsi congruit, operantis.

Morbi causam & morbum, ejusque varios effectus distinctis signis noscibiles, quorumque nec minùs varia diagnosi quàm diversæ indicationes curativæ, licèt graphicè distinxerit Clar. *Munnicks*, in Academiâ Ultrajectinâ Professor Chirurgiæ meritiſſimus, plurimis vocabulis pro arbitrio accipiendis, varioque

rerum statui indiscriminatim adscribendis, caliginem lucidiori doctrinæ induxit. « Solutæ unitatis illa species quam instrumenta » obtusa in parte molli efficiunt, *CONTRUSIO* appellatur. Non » semper contusioni adest vulnus; sed effunditur quandòque » sanguis, integrâ manente cute, in spatia partium; undè oritur » affectus, qui *ἰκκῦμοσις, εκκῦμοσις* appellatur; Latini effusionem, » suffusionem, suggillationem verterunt. Est autem *ECCHYMOISIS* » nihil aliud quàm *cruoris in vicina spatia, ob vasorum apertio-* » *nem, effusio*, si nimirum, cute illæsâ, vasa ob contusionem » lacera, sanguinem effundunt. Et si verò sæpius pars in tumorem » non attollitur, sed ita sanguis effusus in spatia partium sese » insinuat, ut nullus tumor appareat; interdum tamen pars » intumescit, si extravasati cruoris copia major sit: imò interdum » tantâ in copiâ sanguis effunditur, ut sub cute inter muscu- » los collectus sinum efficiat, atque partem in tumorem attol- » lat; hinc inflammationis & tandem gangrenæ causa evadat... » Ex partis alicujus magnâ contusione, nonnunquam oritur gan- » græna, quandòquidem, læsis apertisque per contusionem vas- » culis humores effluunt; qui extravasati, condensati, & in » parte contusa aggesti, porositates obstruunt, insensibilemque » impediunt transpirationem, ac proindè incalescentes, inflam- » mationemque concipientes, suffocant tandem, extinguuntque » vivificantium spirituum radiationem. »

Ab ancipiti verborum sensu, seu æquivocatione illaudabili, non abstinuit vir multiplici eruditione conspicuus, celeb. *Astruc*, qui Tractatu de Tumoribus gallicè scripto, à quo *contusionis* nomen exulatum rectè voluit & non nisi ut causam accipi, sub eodem titulo, *de la meurtrissure ou ecchymose*, idem significari censet quod Latini *suggillationem*, & Græci *ecchymosim* dixêre. Mirum quantos errores tam theoreticos quàm practicos in citato capite Tractatûs de Tumoribus, congregaverit doctissimus Profef- sor: lymphaticas agnoscit *ecchymoses*, cùm de essentiâ *ecchymosis*

fit à sanguine extravasato ortus tumor ; quem pronum ad suppurationem pronunciat, licet ad putredinem & gangrænam propinquiùs vergat: indurationem grumorum sanguinis extravasati admittit nemini visam : cuilibet enim notum est cruorem concretum dilutionem fieri, sive resolvatur, sive putrescat. Post missionem sanguinis nonne videtur pars rubra concreta, sero limpido innatans? Affluxu humorum in contusis niger color in rubedinem evadit, & circa margines loci flavus apparet, grumis sensim dissolutis. Ergò non indurescit per exsiccationem sanguis : quod si accideret, accretio morbi in acerbiorum, & non finis & exitus judicaretur, & nequaquam scirrhi cujuscumque speciei naturam indueret. Scirrhus enim, ipsomet Auctore testante, formari nequit à sanguine. Hæc autem inter verba & res discrepantia, in eodem Tractatu, animi tenebras non discutit; imò artem obnubilat; de qua vel nullus sermo haberi deberet potius quàm non lucidior. (a)

Contusiones modò à suggillationibus distinguit Cl. Juncker, Professor Halensis, in conspectu Chirurgiæ tam medicæ quàm instrumentalis; hasque ab illis differre, ut effectus à causis

(a) Ne virum, quem senem venerans colui, inhonoratum voluerim, ex eo quod nemo insensùs Chirurgis adversatus sit, hinc operæ pretium ex ipsissimis verbis opinionem commentitiam, à vero remotam exponere, Artis progressui unicè consulens, ut immota stet magis amica veritas, & scientiæ certitudo. « Les meurtrissures se terminent de » quatre façons. La troisième par endurcissement; quand le sang extra- » vasé, à force d'être sec, forme des grumeaux qui, au-lieu de se pour- » rir, se dessèchent, s'endurcissent, & donnent lieu à une espèce de » squirrhe. » De Tumoribus, tom. 1. pag. 218... Le squirrhe est produit par le séjour de quelque humeur.... Ce ne sauroit être le sang, parce que le squirrhe est sans rougeur, & qu'il ne peut être produit que par une humeur capable de se durcir; ce qui ne convient point au sang, *ibidem*, tom. 11 pag. 5.

efficientibus; ex contusionibus, inquit, præter alias causas originem ducere solent suggillationes: modò ecchymosis & suggillationis nomina tanquam synonyma habet, quorum tamen perutilis est distinctio.

Jampridem veræ diagnoseos de his præter naturam affectibus fundamenta posuerat, sagax, dùm viveret, rerum chirurgicarum judex, experientissimus Mag. J. L. *Petit*, perennis memoriæ, agens de tumoribus capitis à contusione, sub vocabulo *Bosses*. Cute integrâ remanente, ictu, impulsu atque jactu, vel instrumentis quibuscumque retusis, fustibus putà, tignis, lapidibus paulò vehementiùs corpori admotis, fit subcutanea læsio ab attritione & collisione partium; undè congeries minutissimorum vulnerum, quam Græci, ut cum *Heislero* loquamur, *Ecchymosin* haud incommodè vocarunt, & *Celsus*, *Vexata*.

Disruptis per contusionem arterioli & venulis innumeris, vix abesse potest quin à sanguine effuso formetur tumor, & quidem subitaneus, cujus varia signa pathognomonica tradidit M. *Petit*. Si intumescencia fit per sanguinis effusionem intrâ laminarum relæ cellulosa spatia, ut videre est absque contusione in thrombo, post minùs benè sectam in phlebotomiâ cutem, insurgit tumor circumscriptus, renitens & facilè resolvendus; fitque *suggillatio* consecutiva ex longiori & latiori sanguinis in cellulas textûs membranosi non læsas diffusionem; id est, *per infiltrationem*; quæ vox licèt Veteribus ignota, non minùs lucidam præbet rei significatæ valdè necessariam cognitionem. Cùm verò ex majori vel minori cruoris extravasati copiâ & in unum alveum seu cavum collecti & coacervati, circumscriptus apparet tumor per abscissionem cutis à partibus substratis, in circumductione renitens, in centro mollior, cum fluctuatione explorantibus methodicè digitis manifestâ, hæc sanguinis effusio est vera *Ecchymosis*, quæ gallico idiomate dicitur facta *par épanche-*

ment. Plerumque sine morâ aperiendus est tumor, ut effuso cruori citior detur exitus, & multa, & quidem graviora à diuturniori stasi præcaveantur accidentia.

Illustrissimo *Van-Swieten* contusorum effectus varios judicanti, ecchymosis & suggillationis discrimen innotuit, veramque utriusque nominis significationem irroboratam habet (a).

Ecchymosis, inquit, est effusio humorum extra vasa sua sub integumentis; & definitionem ex *Paulo Aeginetâ* accepit... non divulsâ cute, sic ut tumor mollis tactui cedens sequatur, lividus & indolens ut plurimum. De suggillatione paulò inferrius dicens, non errat clar. auctor, nisi errore loci in quem cruoris extravasati ingressum fieri autumat. Suggillationem vocat maculam rubram, lividam, imò sæpè nigram ab impulso sanguine per ictum in serosa & lymphatica vasa. « Differret » ergo suggillatio ab ecchymosi, quòd in ecchymosi ruptis vasis, » sanguis in vicina spatia effunderetur; in suggillatione autem » sanguis validâ pressione ingreditur vasa aliena, integra tamen: » undè etiam suggillatio potius in viciniâ, quàm in ipso loco » contuso hæret ». Hic, amore veri, versatilem adnotare jubemus clar. Auctoris doctrinam, qui in proximè superiori paragrapho, quasi nescius falsi, ex mente *Hippocratis*, dicebat nullum ferè vas, nullam muscoli tendinisve fibram observari in corpore, quin hæreant in membranâ facilè dilatabili, cellulis plurimis cum se mutuo communicantibus, constante; sicque concludit: *Minora ergò hæc cava per omne corpus dispersa hærent, & poterant repleri humoribus ex fractis vasis effusis*. « Patet autem facilè » ecchymosin & suggillationem sæpè se mutuo comitari post » validas contusiones: undè etiam apud auctores hæc vocabula » confunduntur ».

(a) Comment in Boerhay. Aphoris. 324.

Ex hac animadversione nonne mirum quodd Clarif. Commentator Aphorismorum Boerthavii De cognoscendis & curandis morbis, in vitium ducentis culpæ fugam fecerit, & arte caruerit, dicens §. 1151, maculas scorbuticorum caruleas, rubras, flavas, nigricantes, ab extravasato sub cute sanguine productas, observatas fuisse, prout sanguis extravasatus colorem mutaverat, dum vel coagulatus & niger manabat; vel incipiens dissolvi, per varios colorum gradus transibat, antè quàm penitus dispareret, simili omninò modo ac in contusionibus apparet. Subjungit Clar. Auctor magnam esse affinitatem inter maculas scorbuticas, & mutationem coloris in cute, quæ Contusionis progressum sequitur. » In utroque » enim casu, extravasati humores sub integris integumentis » hærent; in utroque casu vasa rupta sunt; & videtur in » scorbutico à causis internis nasci similis conditio, qualis à » causâ externâ contundente nasci solet; vasorum nempe rupta & liquidorum extravasatio. » Nùm dici possunt affines morbi tam diversæ naturæ? Minus in arte peritis mentitur fucata cutis; nonnullos enim decepit purpureus color, & macula livida spontè suborta, latiusque diffusa ad femoris partem superiorem & anteriorem in gravidis, integrâ valetudine fruentibus, quas Dyscrasiæ scorbuticæ insimulabant, extinctâ Anatomix face docentis rotunda uteri ligamenta, per annulos musculorum abdominis transeuntia, in pinguedine juxta inguina terminari, & plexu vasculoso constare; cujus distractio, ab utero nimis distenso, suggillationis exterioris fit causa.

Quanti intersit in Pathologiâ Ecchymosim & suggillationem signis propriis distinguere, ex dictis sat conspicuum: sed accuratioris & diligentioris inter eas discriminis annotandi summa in usu forensi necessitas ex dicendis patebit. Cum verò

fegnius irritent animos congestæ præceptiones quàm exempla; juvat varios hâc de re casus exponere, ut in unoquoque, narratio facti vicaria, rem oculis quasi præsentem fideliter sistat.

1. Augustoduni, die 6 Septembris, anno 1735, horâ nonâ ferotinâ, nobilis quidam Juvenis, qui in equestri turmâ Scloupetariorum Domûs Regiæ, bellicæ disciplinæ tirocinia posuerat, cum duobus causarum Patronis vehementius verbis jurgabatur, dein, licet ense districto, metuendum non se præbuit: pugnis certantes inermem eum humi abjecerunt, & acceptam injuriam, præ pudore, silentio dissimulavit. Quotidianâ consuetudine civium cœtibus comiter adstans, sociales circulos frequens confectabatur usquè ad decimam quartam à rixâ diem, quâ valetudinis prosperitate utentem dicitur variolis, tunc in urbe malignè grassantibus, fuisse correptum, & ipsâ eâdem die, 21 Septembris, fato functus est, horâ post meridiem decimâ.

De pœnâ percussoribus infligendâ Pater defuncti cogitans, capitaliter Patronos apud Judices incessit. De legitimo forolite obortâ, inspectio cadaveris ad diem Octobris 28, procrastinatur, elapsis à morte 37 diebus. Exhumato, Prætoris Urbani jussu, cadavere, omnes Medici & Chirurgi Augustodunenses inquirunt, & communi consilio concludunt, Ecchymosim & plurimas se vidisse in capite contusiones, quarum major in parte posticâ, cum cruoris nigri, partim fluidi, congestione: cranium fuisse integrum, in eoque partes contentas absque læsione: commemoratur etiam de Contusionibus in Hypochondriorum regione & femoribus, ab instrumento contundente, uti fustibus, lapidibus & aliis.

Hanc ad Judices rescriptionem impugnant Rei, irritam nulliusque ponderis, & reipsâ, & vitioso ritu, statuentes. Emendandæ renuntiatio non patebat aditus, quippè cum eam

subscripserint omnes in utrâque Medicinâ Magistri; sicque secundo examini omnis via erat præclusa.

Missio memoriali libello, Parisios, Montem-pestulanum & Nemausum, opem & auxilium Medicos rogante, qui, posthabitis judiciariâ Augustodunensi renuntiatione, causam Reis adjudicarunt, proprio Marte asseverantes lividas maculas non à causâ externâ contundente ortas, sed à sanguine in corporis peripheriam impulso per vim morbi & instante morte, in ultimâ animæ secedentis conatu, ut videre est in omnibus ferè cadaveribus; præsertim si morbus à putridis humoribus processerit. Sed quid testificationes extraneæ de non visis, sine constante corpore delicti, vanæ proficiunt? Quis enim ignorat sumptibus & instigatione litigantium, quorum interest, hæc scripta officiosè fieri, undè nullius sunt auctoritatis coram Judicibus. Si non certæ fidei viderentur ea quæ de cadavere examinato in acta relata sunt, iis refragari posse ratio & æquitas jubent. Sed tunc testimonii recognitio Viris in arte peritioribus committenda, quorum munus est ex æquo & incorruptâ fide quidquid contra artis cognitiones & præcepta, errore vel imperitiâ peccatum fuerit, investigare, quæ emendanda proponere, ut irrita habeatur renuntiatio à minus expertis tradita: sed malè cedunt consilia quæ contrariam opinionem sine probationibus proferunt, uni è partibus adversis opportunè patrocinantia.

Quid jam de Augustodunensi relatione Anatomicâ sentiendum sit, judicatu facile. Ex Artis legibus inquirendum in figuram & magnitudinem instrumenti vulnerantis; de naturâ & usu partium læsarum; an lethale vulnus fuerit, & quâ de causâ; quæ symptomata vulnus inflictum ad mortem usquè secuta sint: nihil horum in renuntiatione: non constat de certitudine facti physicâ: ergo nullum existit, quod vocant, corpus delicti. Nihilominus re auditâ ex utrâque parte, litem diremerunt inferiores Judices, damnando unum è Reis ad exportationem bien-

nem (*bannissement*) ad multam ergà Regem, ad solvenda decem librarum millia, & ad litis expensas. Alteri autem Reo, quòd rixæ testis socium vexatorem non dehortatus sit, imposita fuit pœna solvendi duo millia librarum & expensas, secedendique ad quinque annos à præsentiâ Patris filii defuncti in quocumque sociali civium congressu.

A tam damnofo judicio ad supremam Divionensem Curiam fuit provocatio. Ibi, scriptis, contra scriptis, confutationibus, iteratis responsionibus, inter litigantes ex utrâque parte actum, ità ut implicata & obscurata verius quàm explicata fuerit controversia. Pro Patre defuncti certabant tanquàm de vitâ & sanguine: litigio ministrare non puduit Artis salutaris Magistros, & forensium quasi æmulatores, arte subdolâ uti: virtute enim mentis imaginum fictricis varias excogitarunt lusiones minimè visas, nec prorsus comprobatas, ut causæ prodesse. Ab omni exprobratione immunes essent Reorum defensores, si iis de ignoto differendi nulla fuisset cupido.

In solvendis quæstionibus physico-legalibus primaria lex est ut clarè, distinctè & evidenter posita sit facti certitudo. Cadaveris inspectio legalis est actus publicus detegendæ mortis causâ institutus. Livores, maculas in corpore visas, Augustodunensis relatio percussionibus assignat: negant consulti Medici Parisienses; macularumque lividarum causam, verùm è longinquo, vident in putridâ humorum dissolutione. Sed quæ ratio negati daretur? Cui ex contrariis assertionibus adhibenda fides? Certè quidem ut jam *Paraus* noster observavit, post mortem fiunt eruptiones, nondùm scilicet restincto humorum fervore qui putredinis est soboles: quare tunc putredinosus calor, qui sub mortem plurimus est, in cutem excrementitios humores excernit, macularum materiam. An ergò in hoc notitiæ genere incertum sit de percussionibus & maculis inspectis judicium? Prudenti sectione res investiganda, ut constet de vasorum disrup-

tione, de corpore delicti, & congestione sanguinis abscissis partibus, si sit Ecchymosis à corpore contundente; & de integritate cutis & substrati textus cellularis, in suggillationibus à causâ internâ oriundis. Sed cultro Anatomico docta manus agat, monente Clarif. *Vanswieten* »; nam sæpè quandò Im-
» periti cadaver examinant, non tam lustrant vulnera, quàm
» faciunt. »

Collegarum chirographis socium nomen subscribere rogatus denegavit Clar. M. *Astruc*; nec benignè invehitur in Augustodunenses, qui triginta septem abhinc diebus post inhumationem, de corpore exhumato iudicium facere ausi fuerint: tùm stans à causâ Reorum contendit enientitam in occipite Ecchymosim, quippè cùm sanguis inter spatium sexdecim dierum à rixâ ad mortem, vel resorbtus, vel in pus conversus, aut fluiditate privatus, cum coloris mutatione, fuisset à calore partium, vi pulsante arteriarum, & influxu naturali spirituum. Quod argumentum victrici ratione infirmavit Clar. D. *Fournier*, Medicus Divionensis, Clar. *Vanswieten* auctoritate fretus, dicentis, Commentario in Aphorismum Boerrhavi 172, ratione effusi sanguinis Galenum jam monuisse, suppurationis nomine hîc intelligi omnem sanguinis corruptelam, non autem conversionem in pus propriè dictam... « Si nullus aeri accessus detur, potest sanguis effusus
» diù sine corruptione manere, imò sensim extenuatus iterùm
» resorberi sinè noxâ, uti sæpè post validas contusiones appa-
» ret, quandò sanguis, vasis fractis, sub cute integrâ effusus,
» per mensem & ultrâ sæpè hareret, sensim iterùm disparsens
» sinè ullo malo. » Quidquid id fuerit, cùm nulla suborta sint symptomata, huic Ecchymosi causa mortis nullo modo tribuenda. Litigiosas ambages non sine magno sumptu, & anxias curas disturbasset docta renuntiatio ex legibus Artis expedita. Tandem die 5 Martii, tantas composuit lites suprema Curia, dimissis ab insimulatione homicidii causarum Patronis.

II. In humano corpore sanguis à corde in arterias expellitur, ad illas redux per venas: sed anatomicâ observatione notum, à morte, quocumque modo moriens è vitâ discesserit, venas sanguine plenissimas esse, arteriasque in cadavere modicum sanguinis continere. Suggillationes majores fiunt ab hoc sanguinis transitu in venas minimas ad cutem usquè, & suffusione in textûs adiposi cellulas, in iis præsertim quibus violenta mors obtingit; quod videre est in suffocatis à carbonum vapore inspirato; & etiam, quibus laqueo collum torquetur: livent brachia & crura, eò intensius quòd fuerint sanguinei temperamenti & ætatis vegetioris. Nulla in his suggillationibus artuum subcutanea læsio anatomicè perquirenda: sed admonendi Artis cultores quibus inculta esset in hoc genere doctrina, cultro anatomico sæpè investigandam esse veritatem, ut certò noscatur corpus delicti. In judicium nonnunquam venit, An qui fune suspensus cernitur, vel vivus vel mortuus suspensus sit. Ex *Parao, libro de Renuntiationibus*: si vivus suspensus fuerit, funis vestigium in cervicis ac juguli circumferentiâ relictum, rubrum, livens aut nigricans apparebit, cutisque circumcontracta ac rugosa, propter eam quam funis fecerit compressionem... Livebunt etiam brachia & crura totaque facies, &c. Contrà, in suspensio cadavere, nihil horum apparebit, ne funis quidem in collo vestigium rubrum aut livens, sed simili planè cum reliquis corporis partibus colore.

Crescente in dies Arte, uberiores doctrinam nobis transmissit observatio & experientia. J. Bohnius, Professor Lipsiensis meritissimus, ad calcem libri de *Renuntiatione vulnorum*, dissertationis lucidioris auctor est super hanc quæstionem, An quis vivus mortuusve suspensus fuerit? Sequentem casum, cognitu necessarium refert, de cadavere post mortem suspensio.
 » Fœminæ cujusdam suspensæ nec facies, nec collum, nec humeri
 » cum thorace, peregrino colore imbuti, nec oculi prominentes,

» nec lingua tumida ac nigra, nec laquei vestigium, deprehensa
 » fuerunt; utrumque potius abdominis latus, à costis nothis,
 » lumbi ad podicem usque, ac femora livida, fusca atque
 » *suggillata* comparuerunt; conclusit, anno 1708, die 19
 » Octobris, Collegium Lipsiense, illam non tam viventem
 » se ipsam strangulasse, quam ejus cadaver post fustigationem
 » & verbera lethalia suspensum fuisse. »

Hæc autem suggillatio à verberibus, quantum differat à suggillatione in femoribus strangulatorum conspicua, judicandum. Ab ipsius causa; cutis exterior læsa est, & tumoribus ramos furculosos quasi referentibus fulcata, præsertim in iis qui virgis ac flagellis caderentur.

Sed in casu difficiliore novum lumen protulit non mediocri intelligentiâ instructus Chirurgus villanus cujus nomen desideratur.

Validis ardens animis Filius Familias annum agens decimum octavum, suspensus in arbore visus est, die Augusti 12, anno 1736. Patrem incarceratum, incarceratas novem tresque defuncti sorores, decretâ corporis comprehensione, ob concitatum rumorem publicum, tanquam insontes dimisit pro Rege causarum Cognitor; suspensumque *Autochirum* judicans, quod sibi ipsi propriis manibus mortem consciverit, rigide, ad juris criminalis formulam, cadaver ejus dehonestandum censuit. Res ad supremam Aquisgranam in Provinciâ Curiam delata, in contrarium cessit, perspicacius inquisita ab illustr. & doctrinâ spectabili viro D. *de Guëidan*, tunc temporis Advocato Generali. Indubia quidem aderant strangulationis signa; sed ex observatione Chirurgicâ, vestigium collo contuso cum suggillatione impressum, horizontaliter & immediatè suprà scapulas cernebatur, ita ut humi prostratus, fune torto supremum diem adolescens obierit; dein ad arboris ramum sublatus, suspensorii laquei vestigium mento tenus, obliquè ad cervicem apparebat absque ullâ coloris in hoc cutis sulco mutatione. Immanis insu-

per scævitiæ alia exhibebat indicia examinatum attentius cada-
ver; depressis in os dentibus sanguine tinctis, per compressionem
violentam à pede patris homicidæ (a). Hinc quantâ cum cau-
telâ sit agendum in relationibus forensibus, videtur; quàm
prudenter & circumspectè res intueti oporteat. In allato casu
sagacior observatio anatomica lucem emisit; pari studio facta
cadaveris inspectio scandalum Tolosanum amovisset, dubia ape-
riens, & de jugulato cive Themidis gladio, an jure, an immeritò,
constaret ex certitudine facti clariùs, ut par erat, probatâ. In hoc
cardine, necessariò & absolutè vertuntur res criminales: certitudo
facti physica, corpus delicti constituit, quam sententiam verbis
iterare nos non piget: investigationi anatomicæ, à peritis, verè
congruit *Santolii* carmen, inscriptum in Castelleri camerâ crimi-
nali:

Sontibus undè tremor, civibus indè salus.

III. Gravis quæstionis solutio à vulgari intelligentiâ remotior
est, quàm ut quisque judicium certum dicere valeat. Re minùs
intellectâ, quid veri, quid documenti emergeret? Et, ut cum
erudito Scriptore ineuntis seculi XVII loquamur, languentes
& oleo defectæ lampades tenue lumen spargunt. Sed ab indoc-
tâ renunciatione quot insurgunt mala, & quidem horrenda?
Decipiuntur Judices; aspectu terribili incedunt Pœnæ scelerum
ultrices; innocentia suâ freti, immerentes premuntur; seriùs-
que, cum acerbo & supervacuo animi sensu discernitur frus-
tratam fuisse causæ intelligentiam: hæc aliquot exemplis ad
rem nostram redeuntibus, probanda.

Castri Albienfium, Petrus-Paulus Sirven iniquè pœnam occi-

(a) Vid. quam edidit dissertationem Clar. Actûs Præses, anno 1763, sub
titulo: *Mémoire sur une question anatomique relative à la Jurisprudence*,
dans lequel on établit les principes pour distinguer, à l'inspection d'un corps
prouvé pendu, les signes du SUICIDE d'avec ceux de l'ASSASSINAT.

se puellæ, quæ, primis diebus anni 1762, seipsam præcipitem in puteum dederat, capite expendisset, si relationis ex inspecto cadavere vitia non patefecisset Cl. Actûs Præses; ex quo in possessionem famæ, bonorum, vitæ salvæ, restitutus fuit prudenter ab aliquot annis Contumax.

Non minùs Artis regulis & præceptis, quàm officio suo defuerunt cadaveris Examinatores. Ex eò quòd nulla apparuerint (quæpenitùs ignorabant, ut patet ex eorum legali relatione) signa submersorum mortem indicantia, inferre fas non erat puellam priùs à sicario fuisse interfectam, dein in puteum projectam. Sed ex ipsâ præcipiti in puteum prolapsione, ictu crebro, contra putei parietes quasi arietante capite, ex iteratis, antè quàm ad aquam putei pervenerit, percussionibus, ad stygias undas penetravit infelix ex alienatione mentis puella. Tumor à contusione aderat in regione ossis frontis; at, nec sectione anatomicâ an os fractum fuerit, an quid sanguinis in internam calvariam effusum, nequaquam investigavêre. Meris conjecturis & levioribus præsumptionibus innituntur, cùm de corpore delicti certo certius constare debuisset.

Collum, in toto orbe, sanguine extravasato turgidum, suggillatum anteriùs à mento ad claviculas, lividas carnes, collique in omnem sensum mobilitatem habuerunt pro signis suffocationis à causâ violentâ exteriùs & nefariè admotâ, cùm hæc omnia potens & gravissimum præbeant argumentum fracturæ vertebrarum cervicalium.

IV. Indiligentiæ potiùs quàm inscitie exprobrationem meruere ea referendo quæ in cadavere observabant Audomaropoli (*St. Omer*,) Medicus & Chirurgi, Magistratûs rogatu deponentes de causâ mortis viduæ *Monbailli*, 28 Julii 1772. Tota facies suggillata; nares coagulato cruore oppletæ; pectus antrorsum, brachii utriusque pars superior, livida; vulnus subter supercilium dextrum in orbitam penetrans; omnia viscera

D

in statu naturali; nihil h^orum ex ipsa relatione juridica potuit esse mortis subitaneae causa: quas praeter Naturam viderunt lacerationes, vel à casu, vel à corpore contundente factas, incerti statuantes; vulnus autem supercilii ab instrumento pungente & secante, puta cultro, vitro, &c.

Infamissimus vulgi rumor reum fecit defunctae filium, & patricidam judicavit Suprema in causis criminalibus Atrebas Curia, infontemque summo supplicio mactavit, pugno secato; brachiis, femoribus, cruribus & lumbis vecte ferreo fractis, vivum igni concremandum tradidit.

In tam horrenda calamitate, Martyris uxori ad patibulum damnatae, & casu felici gravidae, patrocinati sunt viri humaniores, opemque Clar. Actus Praesidis efflagitarunt; qui praestita consultatione, Januarii die 8, anno 1771, nullum esse corpus delicti, nec à percussore interfectam mulierem, probavit; sed Apoplexia temulentam correptam incidisse in angulum arcae, unde vulnus supra oculum, suggillationes in facie & aliis partibus, & ruptis à commotione vasis, nares cruore repletae, &c. Certè noluit propitiā ferre sententiam, sciens ex *Sebizio*, Professore Argentinenſi, de *Jud. informat.* peccatum maximum fervare velle, quem, ob vulnus illatum lethale, leges homicidarum poenā damnaverunt.

Quas interposuit auctoritates maximi sunt ponderis in re tam gravi dijudicanda. Nulla fit in renuntiatione mentio obesitatis, & veteris consuetudinis multo vino, vel aqua-vitae sese inebriandi. Cadaverum per *Peritos* lustratio, quoad reliquas circumstantias, imprimis *Procatarxin* morbosam, in Judicio accuratius enunciando insigni pollet emolumento. (a). Obesi admodum habitus homines & vini intemperantes repentinae mortis

(a) *Bohnius*, de Renuntiatione vulnerum cap. 3. de deponendi ratione & modo.

obnoxios esse, notat Illust. *Lancisi*, Archiater Pontificius. De Apoplexiâ agens celeb. *Forestus*, primam observationem refert de quodam crapulæ dedito plethorâ abundante. Ex *Wesfero*, tract. de Apoplexiâ, constat ebriositatem, hujus morbi frequentiora dare semina. Aperto capite ebrii intra pauca horas apoplecticè fato functi, superficies cerebri, ejus cavitates & cranii basis sanguine extravasato replebantur. Hoc tamen certum, inquit Clarif. Observator, nullam causam violentam externam, sive ictum, sive casum, tantæ rupturæ vasorum sanguiferorum auctorem præcessisse: Historia morborum Wratislaviensium ab Hallero edita, notat expressè, notorios vini abusus, multos, optimi aliàs habitûs, in Apoplexiâ præcipitavisse.

Acta Medicorum Berolinensium memorant militem, sanguinei temperamenti, optimâ valetudine fruientem, subitanè morte extinctum. Externè totum corpus, sanguine suffusum undique livebat: quod Berolini observabant, anno 1720, visum est Autodomari, anno 1770: ergò à suggillationibus in pectore non rectè arguitur contusum fuisse pectus à violentiis externis. Hoc etiam notandum, quòd in investigatione anatomica militis Prussici, cum capitis integumenta inciderentur, statim sub cute multum fluidi sanguinis occurrisset; inque magnâ quantitate, (sunt ipsa Relationis verba) circiter ad tres mensuræ partes, dum cutis removebatur, fluebat. Clarif. *Morgagni* refert in ebrietate mortuo vasa piæ-matris & plexûs choroidei adeò referta sanguine, ab eoque dilatata, ut nunquam magis vidisse meminisset (a). Sæpè ebrius, inquit, quæ res quantum ad copiam sanguinis augendam, & ad vasa quæ intra cranium sunt, infirmanda

(a) *Morgagni de sedibus morbor. per Anatom. epist. 60. articul. 12 & 13.*

valeat, facile intelligitur. De alio in crapulâ mortuo dicit Clar. Auctor quod faciei musculos omnes, interjectas membranas & glandulas parotides fuscus ex coccineo rubor infecerat (a). Hinc Lancisium monitorem audiant de lethaltate vulnerum Renuntriatores, cum dicit : » in hâc re cautos velim, » *tam ipsos Medicos*, qui propriam aliquandò sententiam » pro usu forensi interponere debent, *quàm Judices* puni- » tuos eos qui etiamsi levi impulsu dejecerint ebrium, vel quemcumque alium, si hic statim de vitâ obierit, illatâ mortis » fiunt rei. » (b) Quæ ad rem *Monbailli* maximè congruunt.

Notum sit judices deceptos, quibusque mandata fuit litis recognitio, solemni judicio famam filii *Monbailli* in integrum restituisse; ab omni criminis suspicione liberatam uxorem superstitem; consultationis Cl. actûs Præsidis laudabili factâ in *Artesio* mentione. Admonitos insuper voluerunt de attentâ circumspeditione habendâ in renunciationibus suis, Medicos & Chirurgos, causas mortis proximas & remotas verbis expressis declarando, rationesque doctrinæ, vel opinionis circa res observatas. Quod ipsa ratio suadet & jubet, jam Carolus V, Imperator Romanus, præscripserat, cadaveris sectionem legalem & lationum in eo præsentium inspectionem pro fundamento totius processûs inquisitorii ponendam esse, seridè in Constitutione Criminali præcipiens.

Celeberrimo *VOLTAIRE*, navis litterariæ in puppi sedenti, & clavum summâ cum laude moderanti, quàm maximus poterat habitus est honos ab iis qui politioribus delectantur studiis, quod in causis *Sirven* & *Monbailli* animos moverit, florenti & eleganti dicendi formâ. Sed quid sunt hæ

(a) Lib. IV. Epist. 52. articul. 30.

(b) De subit. mort. lib. 1. cap. 2. pag. 30.

illecebræ, nisi arcus coloratus ! Ex corpore delicti statuitur iudicium : undè verum patrociniū penes est Artis nostræ Magistros. Hæc de re audiendus Constitutionis Criminalis Carolinæ Commentator, dum ait..... *Si inspectio quæ ad corpus delicti spectat, omittatur, ob defectum certæ scientiæ, an vulnus fuerit lethale vel non, pœna ordinaria adhiberi nequit, quippè quæ nunquam decerni potest, nisi ubi confliterit de vulneris lethalitate, de quâ tamen iudex certus esse non potest, nisi factâ prius diligenter cadaveris inspectione.*

Plurimos alios casus non minoris momenti silemus, quos elucidarunt Cl. Aëtus Præsidis Consultationes, annuentibus Tribunalibus acceptas ; has disceptationis nostræ limites referre verant. Pluribus hîc supersedemus, spem profuturæ doctrinæ expectantes.

HAS THESES, Deo iuvante, & Præside M. ANTONIO LOUIS, Scholarum Professore Regio, Academia Regiæ Chirurgiæ Secretario perpetuo, Regio librorum Censore, in Castris & Regis exercitibus à consiliis Chirurgicis, Nosocomiorum Militarium Regni Inspectore, Consultissimæ Facultatis in Universitate Parisiensi Doctore, in supremo Senatu Patrono, è Regiâ Monspeliensi Scientiarum Societate, Regiû Medicinæ Collegiû Nanceiani, & Academia Scientiarum Divionensis Collegâ Honorario, Academ. Lugd. Rothomag. Metens. Gottingens. Apathistarum & botanic. Florentina. Bonon. Paduan. Socio, in Medicinæ Facultate Halæ-Magdeburgicâ Chirurgiæ Doctore ; tueri conabitur ANTONIUS-LUDOVICUS-FRANCISCUS MERTRUD, Eques, artium liberalium in almâ Universitate Parisiensi Magister, Facultatis medicinæ Nanceianæ Doctör.

F I N I S.

